LICENCE *to the* Prior & Chapter *of* Durham *to elect a Biſhop on the Death of* Robert Neville, 1. *Auguſt* 1457.

(RYMER's *Fœdera* Vol. 11. p. 402. Pat. 35. Hen. 6. p. 2. m. 7.)

REX, Dilectis ſibi in Chriſto, *Priori et Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Dunelmenſis*, Salutem.

Ex parte veſtra nobis eſt humiliter ſupplicatum, ut cum Eccleſia veſtra prædicta per mortem bonæ memoriæ Magiſtri *Roberti Neville*, nuper Epiſcopi loci illius, Paſtoris ſit ſolatio deſtituta, alium vobis eligendi in Epiſcopum et Paſtorem ejuſdem loci licentiam vobis concedere dignaremur;

Nos Precibus veſtris in hac parte favorabiliter inclinati, Licentiam illam vobis tenore præſentium duximus concedendam; Mandantes quòd talem Vobis eligatis in Epiſcopum et Paſtorem ejuſdem loci, qui Deo devotus, Eccleſiæ prædictæ neceſſarius, Nobiſque et Regno noſtro utilis et fidelis exiſtat. In cujus rei &c. Teſte Rege apud *Weſtmonaſterium*, *primo* die *Auguſti* 1457.

Per Breve de Privato Sigillo.

THE *Pope's Letter to* K. Hen. 6. *approving of* Laurence Booth *to be Biſhop of* Durham, *at the Inſtance of Queen* Margaret *Conſort to* K. Hen. 10. *September* 1457.

(RYMER's *Fœdera* Vol. 11. p. 404. 35. Hen. 6. *Ex Autograph.*)

CALISTUS Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto

Chriſto Filio *Henrico Regi Angliæ* illuſtri, Salutem et Apoſtolicam Benedictionem.

Jam pridem, cum Eccleſiam *Dunelmenſem*, per Obitum bonæ memoriæ *Roberti olim illius Epiſcopi*, Paſtore carere intelligeremus, audientibus eam in Confinibus tui Regni et Regno Scotiæ Convicinam eſſe, cogitavimus tuo Statui (cui nos ſemper præcipuâ quadam et Paternâ caritate affecti fuimus) plurimum expedire Paſtorem eidem Eccleſiæ præfici Honeſtate et Prudentiâ præditum, Viribus præſtantem, gratum omnibus, ut ſuâ auctoritate et præſidio tuæ Celſitudinis dictam Eccleſiam feliciter gubernare poſſet.

Nobis autem hoc agitantibus, meminimus tuam Serenitatem, ſuperioribus diebus per ſuas Literas efficaces, commendaſſe dilectum Filium *Laurentium Booth* Licentiatum in Legibus, Decanum *Londonienſem*, ut cum caſus Vacationis alicujus Cathedralis Eccleſiæ in tuo Regno accideret, quæ ſibi grata foret, ipſum illi præficeremus in Paſtorem;

In cujus etiam ſingularem et præcipuam Commendationem noviſſimè accipimus Literas, cariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ *Margaretæ Reginæ Angliæ* illuſtris Conſortis tuæ, et aliorum plurimorum Dominorum ac Nobilium tui Regni, quibus facile judicare potuimus quam utilis, accommoda, et laudabilis foret Proviſio de Perſona ipſius *Laurentii* ad eandem *Dunelmenſem* Eccleſiam.

Et licet poſtmodum tuæ Literæ ſupervenerint, dilectum Filium *Johannem Arundell*, Phyſicum tuum Commendantes, ut ipſum eidem *Dunelmenſi* Eccleſiæ præficeremus in Paſtorem, Nos, rei gravitatem penſantes et maturè providere intendentes, habita inter Nos et Venerabiles Fratres noſtros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales diligenti

Diſcuſſione

Diſcuſſione et Examinatione Perſonarum, cum nobis peranteà merita et Virtutes ipſius *Laurentii* notiſſima forent, ob ſuas Conditiones, et Doctrinæ, Sanguinis, et Proſapiæ, ac etiam qui Oriundus prope Diœceſim dictæ *Dunelmenſis* Eccleſiæ mores Patriæ et Hominum intelligens, illi utilis et fructuoſus plurimum eſſe poterit, tandem, de eorundem Fratrum Conſilio, de Perſona ipſius *Laurentii* eidem *Dunelmenſi* Eccleſiæ motu proprio duximus providendum, præficiendo ipſum illi in Epiſcopum et Paſtorem, Curam, Regimen, et Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ ſibi in Spiritualibus et Temporalibus plenariè committendo.

Ad quod faciendum potiſſimè inducti fuimus, exiſtimantes id gratum meritò et acceptum tuæ Sublimitati fore, talem Virum, tui Status et Honoris præcipuum Zelatorem promovere.

In qua quidem Promotione, quoniam conſtantes perſiſtere, nec ab ea ullo modo variare intendamus, Sublimitatem tuam Paternâ Caritate precaremur et hortamur in Domino ut noſtræ Voluntati tuam conformes, et a tuis prioribus Literis non diſcedas, memoratoque *Laurentio* tuis Regiis Favoribus aſſiſtere velis, ut ipſe ſublatis quibuſcunque Obſtaculis, ad Poſſeſſionum Jurium et Bonorum ſuæ Eccleſiæ liberè admittatur.

Præfato verò *Johanni* Phiſico tuo, contemplatione tuæ Celſitudinis et ob eximiam Virtutem ſuam, cum caſus Vacationis ſe obtulerit, quantum cum Deo poterimus, providere curabimus.

In hoc ſiquidem Deſiderio, prout in tua Regia et Filiali Dovotione confidimus, expectamus ut ipſo effectu Nobis ſatisfacias, et ipſum *Laurentium* in omnibus Commendatum ſuſcipias, in quo rem te dignam et Nobis gratam plurimum efficies, quæ eo erit Gratior quia

in

in Honorem tuæ Sublimitatis redundabit. Dat. *Romæ* apud *Sanctum Petrum*, anno Incarnationis Dominicæ *Milleſimo, Quadringenteſimo, Quinquageſimo ſeptimo, Decimo* Kal. *Septembris*, Pontificatus noſtri Anno *Tertio*.

A. DE VENERIIS.
Sub Filis Canabinis.

RESTITUTION *of the Temporalties of the Biſhoprick of* Durham *to* Laurence Booth *Biſhop*, 18. *October* 1457.

(RYMER's *Fœdera* Vol. 11. p. 406. Pat. 36. Hen. 6. p. 1. m. 7.)

REX, Eſcaetori ſuo in Comitatu *Middleſexiæ*, Salutem.

Cum Dominus *Summus Pontifex* nuper vacante Eccleſia *Duelmenſi*, per Mortem Venerabilis Patris *Roberti* nuper *Epiſcopi* Loci illius, eidem Eccleſiæ de Perſona, prædilecti Clerici noſtri Magiſtri *Laurentii Booth* providerit, ipſumque in Epiſcopum Loci illius præfecerit et Paſtorem, ſicut per Literas Bullatas ipſius Domini Summi Pontificis, Nobis inde directas, Nobis conſtat.

Nos, Pro eo quod idem Epiſcopus omnibus et ſingulis Verbis, Nobis et Coronæ noſtræ præjudicialibus, in dictis Literis Bullatis contentis, coram Nobis palam et expreſsè renunciavit, et Gratiæ noſtræ humiliter ſe ſubmiſit, volentes cum eo in hac parte agere gratioſè.

Cepimus Fidelitatem ipſius Epiſcopi, et *Temporalia* Epiſcopatus illius, prout moris eſt *Reſtituimus* eidem.

Et ideo tibi Præcipimus quod eidem Epiſcopo *Temporalia* prædicta cum Pertinentiis in Balliva tua, ſine dilatione liberes in formâ prædictâ; ſalvo Jure cujuſlibet.

Teſte

Teſte Rege apud *Weſtmonaſterium* decimo octavo die Octobris.

Per Breve de Privato Sigillo et de data prædicta, Auctoritate Parliamenti.

Conſimilia Brevia diriguntur Eſcaetoribus ſubſcriptis, ſub eadem data, videlicet,

Eſcaetori Regis in Com. Eborum.
Eſcaetori Regis in Com. Lincoln.
Eſcaetori Regis in Com. Northumbr.

Et mandatum eſt Militibus, &c.

THE *King's* PARDON *to* Laurence Booth *Biſhop*, 7*th.* July 1460.

(RYMER's *Fœdera* Vol. 11. p. 456. Pat. 38. Hen, 6. p. 2. m. 2.)

REX omnibus Ballivis et Fidelibus ſuis ad quos &c. Salutem. Sciatis quod de gratia noſtra ſpeciali, et ex certa ſcientia et mero motu noſtris, *Pardonavimus, Remiſimus, et Relaxavimus Laurentio Bothe Epiſcopo Dunolmenſi*, ſeu quocumque alio nomine cenſeatur, omnimodos Tranſgreſſiones, Offenſas, Miſpriſiones, Contemptus, et Impetitiones, per ipſum *Laurentium* Epiſcopum, ante datam Præſentium, contra formam Statutorum de Liberatis Pannorum et Capitiorum, factos ſive perpetratos, unde Punitio caderet in demandam debitam, ſeu in Finem et Redemptionem, aut in alias Pœnas pecuniarias, ſive Impriſonamenta, Statutis prædictis non obſtantibus.

Et inſuper, ex motu et ſcientiâ noſtris, Pardonavimus, Remiſimus, et

et Relaxavimus eidem *Laurentio* Epiſcopo, Sectam Pacis noſtræ, quæ ad Nos verſus ipſum pertinet, pro omnimodis Proditionibus, Murdris, Raptibus Mulierum, Rebellionibus, Inſurrectionibus, Feloniis, Conſpirationibus, Cambipartiis, Manutenentiis, et Imbraciariis, ac aliis Tranſgreſſionibus, Offenſis, Negligentiis, Extorſionibus, Miſpriſionibus, Ignorantiis, Contemptibus, Concelamentis, Forisfacturis, et Deceptionibus, per ipſum *Laurentium* ante datam Præſentium qualitercumq; factis ſive perpetratis, ac etiam Utlagariis ſi quæ in ipſum *Laurentium* hiis occaſionibus ſeu earum aliqua fuerint promulgatæ, et firmam Pacem noſtram ei inde concedimus, ita tamen quod ſtet recto in Curiâ noſtrâ, ſi quis verſus eum loqui voluerit de Præmiſſis vel de aliquo Præmiſſorum.

Et ulterius, Pardonavimus, Remiſimus, et Relaxavimus, eidem *Laurentio* Epiſcopo, omnimoda Eſcapia Felonum, Attinctorum, et Convictorum, nec non Catalla Felonum et Fugitivorum, Catalla Utlagatorum et Felonum de ſe, Deodanda, Vaſta, Impetitiones, ac omnimodos Articulos Itineris, Deſtructiones et Tranſgreſſiones de Viridi vel Venatione, Venditiones Boſcorum infra Foreſtas et extra, et aliarum rerum quarumcumque, ante datam Præſentium, infra Regnum noſtrum Angliæ et Marchias Walliæ emerſarum et eventarum, unde Punitio caderet in demandam debitam, ſeu in Finem et Redemptionem, aut in alias Pœnas pecuniarias, ſeu in Forisfacturam Bonorum et Catallorum, aut Impriſonamenta ſeu Amerciamenta Comunitatum, Villarum, vel ſingularium Perſonarum, vel in Onerationem liberè Tenentium eorum qui nunquam tranſgreſſi fuerunt aut Hæredum, Executorum, vel Terræ Tenentium, Eſcaetorum, Vicecomitum, Coronatorum, et aliorum hujuſmodi, et omne id quod

ad

ad Nos verſus ipſum *Laurentium* Epiſcopum pertinet ſeu pertinere poſſet ex cauſis ſupradictis.

Ac etiam Pardonavimus, Remiſimus, et Relaxavimus, eidem *Laurentio* omnimodas Donationes, Alienationes, et Perquiſitiones per ipſum de Terris et Tenementis de Nobis vel Progenitoribus noſtris quondam Regibus Angliæ in Capite tentis; ac etiam omnimodas Donationes et Perquiſitiones ad Manum Mortuam factas et habitas abſque Licentia Regia; necnon omnimodos Intruſiones et Ingreſſus in Temporalia Epiſcopatus, et Hæreditatem ſuam in parte vel in toto poſt mortem Prædeceſſorum ſuorum et Anteceſſorum ſuorum, abſque debita Proſecutione, Liberatione, ſeu Reſtrictione eorundem, extra manum Regiam, ante datam præſentium factos, una cum Exitibus et Proficuis inde medio tempore perceptis.

Et inſuper Pardonavimus, Remiſimus, et Relaxavimus eidem *Laurentio* Epiſcopo omnimodas Pœnas ante datam præſentium, coram Nobis ſeu Concilio noſtro, Cancellario, Theſaurario, ſeu aliquo Judicum noſtrorum, pro aliqua cauſa, et omnes alias Pœnas, tam nobis quam cariſſimo Patri noſtro defuncto, per ipſum *Laurentium* Epiſcopum, pro aliquâ cauſâ ante datam præſentium forisfactas, et ad opus noſtrum levandas; ac omnimodas Securitates Pacis ante datam præſentium ſimiliter forisfactas; ac etiam Tertias et Tertiarum Tertias omnimodorum Priſonariorum in Guerrâ captorum, nobis die Confectionis præſentium, qualitercumque debitas, pertinentes ſive ſpectantes per eundem *Laurentium* Epiſcopum; necnon omnimodas Demandas, Tranſgreſſiones, Offenſas, Meſpriſiones, Contemptus et Impetitiones per ipſum *Laurentium* Epiſcopum ante datam præſentium, contra formam tam quorumcumque Statutorum, Ordinationum

dinationum et Proviſionum ante datam præſentium factorum ſive editorum de Perquiſitionibus, Acceptationibus, Lectionibus, Publicationibus, Notificationibus, et Executionibus quibuſcumque quarumcumq; Literarum et Bullarum Apoſtolicarum ante datam præſentium et omnium aliorum Statutorum, Ordinationum et Proviſionum, prætextu quorum aliqua Secta verſus eundem *Laurentium* Epiſcopum per Billam vel per Breve de *Præmunire facias*, ſeu alio modo quocumque pro aliqua materia ante datam præſentium fieri valeat, quam quorumcunque aliorum Statutorum factos ſive perpetratos; Statutis, Ordinationibus et Proviſionibus illis non obſtantibus.

Ac etiam Pardonavimus, Remiſimus, et Relaxavimus eidem *Laurentio* Epiſcopo omnimodos Fines adjudicatos, Amerciamenta, Exitus forisfactos, Relevia, Scutagia, ac omnimoda Debita, Compota Præſtita, Arreragia Firmarum et Compotorum; nobis ante datam præſentium qualitercumque debita et pertinentia, necnon omnimodas Actiones et Demandas, quas Nos ſolus vel Nos conjunctim cum aliis Perſonis vel alia Perſona habemus ſeu habere poterimus verſus ipſum *Laurentium* Epiſcopum, pro aliquibus hujuſmodi Finibus, Amerciamentis, Exitibus, Releviis, Scutagiis, Debitis, Compotis, Præſtitis, et Arreragiis, ante datam præſentium nobis debitis, ac etiam Utlagariis in ipſum *Laurentium* Epiſcopum promulgatis pro aliqua cauſarum ſupradictarum.

Omnimodis Debitis et Compotis, nobis debitis et pertinentibus, quæ vigore Literarum noſtrarum Patentium, ſeu Brevium noſtrorum de Magno vel Privato Sigillo, aut per Eſtallamenta ſive Aſſignationes reſpectuata exiſtunt, omnino exceptis, et quod præſens PARDONATIO NOSTRA quòad Præmiſſa vel aliquod Præmiſſorum, non

cedat

cedat in Dampnum, Præjudicium, vel Derogationem alicujus alterius Perſonæ, quam Perſonæ noſtræ dumtaxat; nec quod præſens PARDONATIO NOSTRA, nec aliqua hujuſmodi PARDONATIO NOSTRA, ad aliquos Magnos Computantes noſtros, qui nunc ſunt vel qui nuper fuerunt; videlicet,

Ad Theſaurarium Caleſii et Hoſpitii noſtri, Vitellarios Caleſii, Camerarios Ceſtriæ, North Walliæ et Suth-Walliæ, Cuſtodes Garderobæ Hoſpitii noſtri, aut Cuſtodes Magnæ Garderobæ noſtræ, aut Cuſtodes ſive Clericos Garderobæ noſtræ, Clericos Operationum noſtrarum, Conſtabularios Burdegalliæ, Theſaurarium Terræ noſtræ Hiberniæ, et Receptores Ducatus noſtri Lancaſtriæ et Ducatus noſtri Cornubiæ, tam generales, quam particulares, quoad aliqua hujuſmodi Officia ſua, ſeu hujuſmodi Occupationes ſuas, ſeu alicujus eorumdem tangentia, ullo modo ſe extendat. In cujus &c. Teſte Rege apud *Northampton* ſeptimo die Julii.

Per Breve de Privato Sigillo et de Data prædicta &c.

THE *King's Licence to* Laurence Booth *Biſhop of Durham to be abſent from Parliament three Years,* 15*th.* April 1464.

(RYMER'S *Fœdera* Vol. 11. p. 519. Pat. 4. Ed. 4. m. 2. p. 13.)

REX, Omnibus ad quos &c. Salutem. Sciatis quod Nos certis de cauſis et conſiderationibus Nos ſpecialiter moventibus, de gratia noſtra ſpeciali, conceſſimus et licentiam dedimus et per præſentes concedimus et licentiam damus Reverendo in Chriſto Patri *Laurentio Epiſcopo Dunolmenſi*, quod ipſe durante termino *trium Annorum* proximo ſequentium, intendere poſſit et vacare circa negotia

ſua

ſua, et quæ ſunt ei neceſſaria et utilia, ac reſidere et inhabitare ubi ſibi melius placuerit infra Regnum noſtrum Angliæ; et quod non teneatur venire ad aliquod Parliamentum ſive Concilium noſtrum, ſed inde exoneratus et excuſatus ſit durante termino prædicto aliquo Mandato noſtro ei in contrarium dirigendo ſeu fiendo impoſterum non obſtante. In cujus &c. Teſte Rege apud *Weſtmonaſterium decimo quinto* die *Aprilis.* 1464

Per Breve de Privato Sigillo et de Data prædicta Auctoritate Parliamenti.

King Edward 4*th. having ſeized into his hands the Temporalities of the Biſhoprick of Durham in the time of* Laurence Booth *Biſhop, by his Writ of* Superſedeas *reſtores the Temporalities again in Poſſeſſion to the Biſhop.* 17*th.* April 1464.

(Rymer's *Fœdera* Vol. 11. p. 519. Pat. 4. Ed. 4. m. 2. p. 13)

REX, Dilectis Nobis *Johanni Fogge* Militi Theſaurario Hoſpitii noſtri, *Johanni Scotte* Militi Contrarotulatori ejuſdem Hoſpitii, ac *Thomæ Colte* et eorum cuilibet, Salutem.

Sciatis quod, Cum Nos (de Fidelitate et Circumſpectione veſtris plurimum confidentes) ante hæc tempora, per Literas noſtras Patentes (quarum data eſt apud Weſtmonaſterium Viceſimo octavo die Decembris anno regni noſtri ſecundo) vobis Cuſtodiam Temporalium Epiſcopatus Dunelmenſis, in manus noſtras certis de cauſis ſeiſitorum, Conceſſerimus,

Habendam

Habendam et Tenendam Cuſtodiam illam quamdiu Temporalia illa in manibus noſtris remanere contingerint, Reddendo inde Nobis debitum Compotum, ad Scaccarium Epiſcopatus prædicti, et non alibi, coram Auditoribus noſtris ibidem pro tempore exiſtentibus.

Et ulterius, ex abundanti gratiâ noſtrâ, Conceſſerimus vòbis præfatis *Johanni*, *Johanni*, et *Thomæ* auctoritatem et plenam poteſtatem aſſignandi et faciendi nomine noſtro, de tempore in tempus, ſub Sigillo noſtro in hac parte ordinato, Juſticiarium, Cancellarium, Vicecomitem, Eſcaetorem, et omnes alios Officiarios infra eadem Temporalia, prout temporibus tranſactis extiterit conſuetum.

Et quod dicti Juſticiarius, Cancellarius, Vicecomes, Eſcaetor, et alii Officiarii, taliter aſſignandi ſeu faciendi, haberent tam magnam et largam Poteſtatem prout ipſi aut alii in caſu conſimili ante hæc tempora habuerunt, prout in eiſdem Literis noſtris plenius continetur.

Nos tamen certis de cauſis et conſiderationibus nos ſpecialiter moventibus, Aggreavimus, Concenſimus, et Permittere Volumus, quod Reverendus in Chriſto Pater *Laurentius Bothe Epiſcopus Dunelmenſis* in Temporalia prædicta, ac omnia Terras, Tenementa, et alias Poſſeſſiones, Epiſcopatui prædicto pertinentia, cum omnibus et omnimodis Officiis, Debitis, et Juribus eis quoquomodo pertinentibus ſive ſpectantibus, intrare poſſit, et ea ſibi pacificè habere, occupare, et gaudere, ſine aliquâ Contradictione vel Impedimento noſtri ſeu alicujus nomine noſtro.

Et ideo Vobis et cuilibet veſtrum præcipimus firmiter injungentes, quod de Cuſtodia Temporalium prædictorum, ac de ulterius aſſignando ſeu faciendo pro nobis ſeu nomine noſtro, Juſticiarium,

Cancellarium

Cancellarium, Vicecomitem, Eſcaetorem, ſeu alios Officiarios infra eadem Temporalia, virtute Literarum noſtrarum prædictarum *Superſedeatis omnino et Omittatis.*

Et quod prædictum Epiſcopum et Officiarios ſuos quoſcumque in excercendo et occupando Temporalia ſua prædicta, vel aliquid ad eadem pertinentia non perturbetis, impediatis, nec in aliquo moleſtetis, ſet de Cuſtodia illa ulterius non intromittatis, prædictis Literis noſtris Patentibus, ſeu aliquo alio Mandato noſtro vobis factis, in aliquo non obſtantibus.

In cujus &c. Teſte Rege apud *Weſtmonaſterium decimo ſeptimo* die *Aprilis* 1464.

Per Breve de Privato Sigillo et de data prædicta Auctoritate Parliamenti.

☞ In 1196 the firſt Coinage of Money begun at Durham, when *Richard* the *1ſt.* granted Licence to *Phillip Poictiers* Biſhop of Durham to ſet up a Mint and Coin Money there.

Pro (Lau. Booth) *Epiſcopo Dunolmenſi de Obolis fabricandis.*

(RYMER's *Fœdera* Vol. 11. p. 783. Pat. 13 Ed. 4. p. 1. m. 12.)

7 DE 56

REX Omnibus ad quos &c. Salutem. Sciatis quod cum Venerabilis Pater *Laurentius* nunc *Epiſcopus Dunolmenſis* ac Poſſeſſores ſui Epiſcopi loci illius a tempore quo non extat memoria, *Monetam Sterlingorum* inter alia, juxta Libertatem ſuam Regalem Dunolmi, fabricari

Remainder wanting